DE
FEBRE BILIOSA

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI
UT
SUMMI IN MEDICINA ET CHIRURGIA
HONORES
LEGITIME SIBI CONCEDANTUR
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FRANC. MICHAEL KUBYSS
TOSTENSIS SILESIUS.

DIE XVII. M. JULII A. MDCCCXIX.

BEROLINI,
TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

VIRO

ILLUSTRI GENEROSO
EXPERIENTISSIMO

IOAN. LUD. FORMEY

MEDICINAE DOCTORI ET PROFESSORI P. O. POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIS RERUM MEDICINALIUM SUPREMIS, ARCHIATRO, SOCIETATIS NATURAE SCRUTATORUM BEROLINENSIS ET OECONOMICAE PETROPOLITANAE, ACADEMIAE MEDICAE PARISIENSIS, SOCIETATIS MINERALOGICAE IENENSIS SODALI, ORDINIS REGII BORUSSICI AQUILAE RUBRAE IN CLASSE TERTIA, IMPERATORII RUTHENICI ST. ANNAE IN CLASSE SECUNDA, LEGIONIS HONORARIAE REGIS FRANCO-GALLIAE EQUITI
ETC. ETC. ETC,

PATRONO

AC

FAUTORI SUO PRAE CETERIS COLENDO

HASCE, QUALESCUNQUE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

D. D. D.

UNAQUE SE RESQUE SUAS SUMMA, QUA PAR EST, REVERENTIA AC DEVOTIONE COMMENDAT

AUCTOR.

Prooemium.

Inaugurale specimen conscripturus, quod publici disquisitoni ex legibus proponerem, maxime in eligendo argumento, ad hunc finem accommodato, haesitavi. In nulla procul dubio litterarum parte, quam in arte medica, aliorum expectationibus satisfacere difficilius est tironi; quod quum persuasum mihi esset, morbum quemdam, quem frequentius observare occasionem nactus eram, in dissertatione describere, idoneum iudicavi. Initio mihi de Calvitie scribere in animo erat, quem ad finem tam aliorum permultas observationes, quam proprias collegi; difficultatibus vero nonnullis im-

peditus, et temporis angustia iam pressus, eam ad futuras forsan pervestigationes servabo.

Vindobonae circa formam, indolem et curationem febris biliosae *auspiciis beati ab Hildenbrand, per tres annos frequentes observationes instituì, quare in animum induxi de pernicioso hoc valetudinis genere breve qualecunque commentariolum conscribere, quod ut L. B. aeque diiudicent etiam atque etiam rogo.*

AUCTOR.

De febre biliosa.

Febris biliosa a bile superabundante nomen accepit, unde propria ejus indoles et eminentissima symptomata dependent, quibus facile distingui a ceteris febribus gastricis potest. Hippocrati, vetustissimo auctori notissima fuit, scilicet calidioribus regionibus, in quibus ille medicinam exercuit, maxime familiaris, variisque nominibus ab eo significatur, mox enim febris thyphodes, mox assodes, [1]) mox febris ardens sive causos ab eo dicitur, sub quibus nominibus nil aliud, quam febrem inflammatorio biliosam videtur intellexisse. Aliis antiquioribus epiala, lipyria, lingodes dicebatur [2]); Galenus febrem biliosam ad synocham imputrem refert, Baglivius febrem mesentericam, Sydenhamus notham seu febrem novam nuncupavit.

Passim quoque apud Veteres sub nomine febris continuae remittentis venit. Tissotius et Stollius viri de arte salutari egregie meriti, quum ex bile superabundante ejus causam repetere non dubitarent, primi *febris biliosae* nomine usi sunt; quorum ille febrem ardentem inflammatorio biliosam vocavit. Grassatur haec febris vere proteiformis tempore aestivo, praecipue si tempestas

1) Delius Diss. de febre assode Erl. 1764. Ballonius, Consil. I. p. 79. II. hist. V.

2) Stoll Aphoris, de cogn. et curand. feb. p. 119.

sicca et calida persistit, nonnunquam ad autumnum et hyemem protrahitur, magnamque inter mortales stragem edere consuevit, si noctes frigidae et humidae diebus calidis excipiuntur.

Pertinet ad febres *cardinales*, quum singulis annis tempore aestivo redeat, ceterosque in morbos prope omnes maxime dominetur; Stollius per sex annos eam stationariam observavit. [1])

Divisio.

Diversimode febres biliosas, quum varias in species deduci possit, dividunt. Quod enim ad decursum pertinet, facile continuam a subcontinua cum exacerbationibus periodicis, remissionibusque adeo perspicuis, ut intermittentes fere febres mentiantur, discernunt. Has iterum distinguunt in *genuinas*, *simplices*, quippe quae nullam aliam indolem prae se ferunt, et rarius omnino observantur; et in *complicatas*, quarum species eminentissima inflammatoria est, in plethoricis ceterum acutissima et gravissima, a veteribus febris ardens sive causus dicta. Vix non ubique hepatis affectionem, hepatitidem leviorem cum bilis incredibili acumulatione videmus, in aliis aliarum partium inflammationes observantur; omnibus humoribus bilis videtur admixta esse, sanguis enim, sputa, sudores hujus, veluti pigmento colorantur, quin imo cutis et periostium, ipsaque ossa colorem flavum referunt; oriuntur nimirum stases variis in partibus et inflammationes, hinc jam unius ejusdemque morbi forma multiplex. [2]) Quodsi cerebrum una laborat, deliria oriuntur, phrenitides, apoplexia, convulsiones, oculi quoque haud raro obcaecantur, cataracta derepente orta, neque

---

1) Stoll rat. med. T. II. p. 87.

2) Stoll de cogn. et curand. feb. p. 121.

ophthalmiae desunt, quibus cornea varie obscuratur. Accedit angina, tussis, pleuritis, peripneumonia, haemoptoë, eminentissima vero symptomata, abdominis viscera prae ceteris laborare, ostendunt, quo fere vomitus, cholera, dysenteria pertinent, item colica, diarrhoea, affectus haemorrhoidales, urinarum difficultas, uteri haemorrhagiae, abortus et alia. In articulis et artubus rheumatismus, arthritis, in corporis superficie erysipelata, miliaria rubra, sudamina, herpetis et scabiei quaedam species, petechiae, exanthema urticatum et reliqua oriuntur.

Ex hisce facile patet, quae sit notio phrenitidis biliosae, pleuritidis biliosae, haemoptoes biliosae, febris erysipelatosae, urticatae, petechialis, aliorumque morborum, quos biliosos dixerunt.

Saepius cum inflammatoria febre in epidemiae biliosae exordio, cum pituitosa vero, eaque aut sola aut adjuncta simul phlogosi, circa ejusdem epidemiae finem, complicatur; cum morbillis quoque, variolis, connubium init, frequentissimeque puerperas invadit.

Porro complicatur cum febribus intermittentibus, cum nervosis, *febris nervoso biliosa*, cum Typho, *Typhus icterodes*, cum febre putrida, *febris biliosa putrida*, castris et urbibus obsessis infensissima omniumque pessima, huc nec minus et febris flava refertur.

Pro diversa in ventriculo et intestinis colluvie, febrem biliosam in *genuinam* et *spuriam* distinguunt, in illa bilis sincera, in altera materia quaedam biliosa morbi causam praebet.

D e c u r s u s.

Percurrit haec febris septem stadia, stadium nempe opportunitatis, invasionis, incrementi, consistentiae, criseos, decrementi et convalescentiae. [1])

---

1) Hildenbrand in prael. suis de febb.

In stadio *opportunitatis* seu sanitatis laesae causa aliqua in corpus recepta huius actiones perturbat. Hoc stadium difficile quidquam est distinctu, vix non semper polycholia, seu plethora biliosa morbum praecedit, aegri languent, in albuginea, facie et reliquo corpore plus minus flavescunt, noctes solent esse inquietae cum sudoribus, adpetitus ciborum deiicitur, saporem amaricantem accusant, lingua sordida est et flavescenti integumento inducta, ructus amari, nidorosi, praecordiarum oppressio, musculorum inertia et lumborum lassitudo peculiaris plurimas aegrotaturis molestias exhibent, quae, quo propius morbus instat, eo celerius increscunt.

In genere haec tempestati calidae relaxanti adscribuntur et negliguntur, quae vero, si statim dignoscuntur, reditum in sanitatem adhuc admittunt; quibus autem diathesis biliosa augetur, ii ipsam in febrem incidunt, ex qua nonnisi crisibus in sanitatem reditus.

Stadium invasionis. Incipit febris ab horrore vehementi, cum calore alternante, accedit cephalalgia dira, sudor et sensus caloris in capite. Hocce stadium paucis absolvitur horis, sequitur vero:

Stadium tertium sive *incrementi*, in quo omnia symptomata augentur; oculi rubescunt vel flavescunt vel ex flavo virescunt, [1]) facies et caput totum insudat, gennarum intensa rubedo, cum flavescente aut viridescente pallore circa nanes et labia, lingua flava, flavescentibus villis, quasi bysso obducta, labiorum siccitas, sapor depravatus amarus assumtorum, salivae insipidae, amarescentis, nauseosae, dulcis affluxus in fauces, vel et albae spumescentis, instar soluti atque in spumas acti saponis; screatio subinde herbidi et aeruginosi glutinis; anorexia, ructus amari, nidorosi, urentes, austeri, subdulces cum nausea; vomituritiones, vo-

---

[1]) Stoll aphor. p. 117.

mitusque variae materiae, porraceae, aeruginosae, vitellinae, atrae, fauces exurentis, dentes veluti obtundentes, saporis acerbi, metallici; anxietas et sensus repletionis ad praecordia, regio vesicae felleae plena et elata doloribusque occupata. Aquae frigidae, acidulatae et aurae frigidae perflantisque desiderium, perceptum inde cephalalgiae calorisque breve levamen. Sudores olentes, nidorosi, lintea flavo colore tingentes; dein alvus intense flava quasi ab assumto rheo, foetidissima, modice fluens inter flatus grave olentes, urinae mox ab initio flavae, croceae, spumosae pinques, post exacerbationem iumentosae turbidae; sanguis e vena missus, aut intense rubet, aut crustam inflammatoriam ostendit, maxime flavescentem, serum viride, ex viridi flavescens, amarum. Pulsus sunt frequentes, pleni, molliores, quam in febribus inflammatoriis, rariora vero symptomata sunt peticuli lenticulares, morbillosae, milliaria rubra, urticaria, sudamina, erysipelata, carbunculi, bubones etc.

Haec sunt constantissima febris biliosae gravioris phaenomena.

Stadium acmae (ακμης) seu status, vigoris, fastigii, seu consistentiae, luctam aequabilem inter naturam et causam axcitantem, in qua nec una nec altera praevalet, representat, nec amplius morbus increscit.

Persistit haec febris, si ad 5tum usque diem increvit, dein ad 7mum usque, sique ad 7mum incrementa cepit, ante diem 14tum crises salutares vix exspectari possunt.

Stadium criseos seu iudicii. Crises fiunt vel per sudores vel urinas, longe frequentius vero per vomitum et diarrhoeam; etiam per exanthemata, milliaria, si populariter haec grassantur. Sudor criticus est aequabilis, vaporosus, odoris subaciduli, saporis subamari, lintea non multum tingens. Urinae criticae sunt diversimode coloratae, flavae vel croceae cum sedimento lateritio; lintea immissa flavum colorem induunt. Materies

vomitu critico reiecta modo bilis vera, modo biliformis, vitellina, porracea, aeruginosa; alvus critica vel serosa est, vel biliosa fusca, glutinosa, foetidissima vel et alcalescens. Exanthemata critica erumpunt vel in thorace, collo, vel in aliis partibus, uti circa labia, quae non raro ad nares ascendunt, quale est, quod hydroa medici vocant. [1])

Dies criticae sunt VII vel XIV.

Si crisis evacuatoria paribus diebus manifesta fuit, tunc mox levamen sequi solet.

Si mox ab initio materia biliosa sursum vel deorsum cum lexamine eliminata fuit, tunc crisis evacuatoria solennis vix amplius expectanda.

Stadium decrementi modo brevi tempore absolvitur et salutem aegrotis affert, modo longum et periculosum est, morbo pedetentim et gradatim decrescente, sic ut singulae febris exacerbationes novas inducant crises, id, quod lysin medici vocant. Vehementiora autem febris symptomata paulatim decrescendo evanescunt, flavedo totius cutis et tunicae albugineae albescit, vires redeunt, partes laborantes in dies melius se habent, iamque liberius suis muneribus funguntur, redit ciborum appetentia, totum corpus aptius nutritur, habitus corporis in melius convertitur, neque dubium est, quin pristinam aegrotus sanitatem maxima ex parte recuperaverit.

Stadium convalescentiae. In hoc stadio morbi reliquiae penitus evanescunt, convalescentes autem per aliquot hebdomadas morositatem quandam retinent, saepius quoque de lassitudine conqueruntur, in iram facile excandescunt; nonnullis capilli defluunt. Redit ciborum adpeditus. Ceterum somnum capiunt placidum, quo mirifice reficiuntur, adeoque increscit ciborum appetentia, ut in ingluviem haud raro et voracitatem degene-

---

1) Frank Epit. Tom. II.

ret. Denique omnes corporis actiones in pristinam harmoniam redeunt.

Aetiologia.

Causa febris biliosae proxima secretio est copiosior principii biliosi, vel ex hepatis vel arteriarum secernentium vitio oriunda, unde turgescentia illa biliosa. [1])

Hepar bilis fabrica est. Sanguis vero, si bilis principio, ut aestivo tempore solet, abundat, nec ipsa bilis in hepate secretio naturaliter se habet, sic ut vel arteriolae secernentes munere suo deficiant, vel secreta bilis excerni prohibita resorbeatur, valdopere regurgitat, motusque febriles necessario ciet.

Causae remotae vel disponentes sunt vel excitantes.

Dispositionem largitur polycholia seu plethora biliosa; tempestate calida et sicca principium biliosum in humoribus acumulatur, unde corpora aestate plus minus polycholica evadunt; sanguis enim minus exydatur, [2]) magis, dum carbonium praevalet, proinde venosus dicendus, constitutio biliosa vel atro-biliosa atque uberior bilis secretio originem inde ducunt. Quo maior carbonii in organismo accumulatio, eo maior etiam actionis vitalis atque humorum resolutio. [3])

Sunt, quorum hepar peculiarem praeterea receptivitatem et nisum ad secretionem bilis manifestat, quam saepe certe polycholici de vomituritione, sapore amaro, aut diarrhoea biliosa conqueruntur, quae omnia post dosin Rhei aut emesin leviorem evanescunt, ex usu frequentiori sa-

1) Hildenbrand. l. c.

2) Nerucci ex penuria acidi in aere.

3) De Renon: Ergo a putrido sanguine febris biliosa. Parisii 1607.

tis illis jam constat Augetur haec dispositio temperamento cholerico et corporis constitutione, qua facile excandescant in iracundias; sic aetas media, sexus virilis magis quam femininus, iterum calidi plethorici magis quam laxi, qui victu animali utuntur, magis quam illi, qui vegetabilem ingerunt, ad febrem biliosam disponuntur.

Homines vero crebris tempestatum vicissitudinibus expositi, uti pastores, rustici, milites, viatores, [1]) qui mox solis ictui, mox noctibus frigidis et humidis exponuntur, et quidem, quo uberior de die illorum transpiratio est, eo magis in febrem biliosam propendent. Ad causas *excitantes* referuntur omnes potentiae nocivae, quae plethoram biliosam movent, praecipue, quae hepar irritant, maxime vero refrigerium. Notus enim est intimus cutis cum hepate connexus atque consensus, hinc, quae in cutem transpirationem, et omnium maxime, quae sudorem suprimendo agunt, uti tempestatum vicissitudines repentinae, si post tonitru et pluvias caelum calidum derepente frigescit, febrem biliosam facillime inducere expertum habemus. Homines sub caelo die noctuque versantes, duri sub syrio ardente laborantes, praecipue si noctes frigidae sunt, ut tempore autumnali et aestivali, hac febri facile corripiuntur.

Supressa cutis transpiratione oriuntur secretiones vicariae in visceribus abdominis et saburrha primarum viarum. Materia perspirabilis a peripheria ad centrum scilicet ad abdomen et intestina traiicitur.

Athmosphaera praeterea certis temporibus propria quadam, eaque epidemica sonstitutione biliosa est, [2]) omnesque morbi, praesertim febriles,

---

1) Burdach in medical. observationes and Inquiries IV. 12.

2) Flachsland über eine gallicht-faule-contagiöse Epidemie. Bresl. Samml. 1717. II. p. 36 — 1720.

tunc temporis biliosi observantur. [1] Cibi vero, quod ante generatim jam disputavi, pingues, oleosi, austeri, farinosi, vappidi, et facile putrescentes, item domicilia humida, depressa, nosocomia, ergastula, navigia, potus frigidus corpore eustuante haustus, [2] hunc morbum inducere valent. Qualem effectum et vis mechanica, hepar et cerebrum infestans praestat, sicque morbi hepatis et lienis varii, qui sanguinis transitum per systema portarum turbant, et quidem eo magis, cum tales homines facillime animi pathematibus et commotionibus: ira, terrore, moerore, abripiantur, quo periculosus clauditur circulus.

Nosogenia huius febris duplex habetur, quandoque nimirum materia noxia vera bilis est, aut hepatica aut cystica aut ex illis mixta nimia copia secreta et in duodenum delata. Vomitu reiecta, omnes offert bilis proprietates, est amara, saponacea, nidorosa, colorisque proprii, flavi. Causae vero omnes quae modo cunque hepar irritant, hanc colluviem biliosam inducunt. [3]

Alia saburrha est biliformis, bilis quidem et colorem et naturam refert, non tamen perinde flavet, nec adeo amara est, vomitu reiecta dentes obtundit, quum acida sit et austera. Oritur haec materies biliformis, quin hepar aliquid contribuat, ex uberiori tubi intestinalis secretione, [4] quam, supressam et repercussam cutis transpirationem sequi, Sydenhamus docuit. Utut in verba illius non iuramus, tamen veri quidquam hic latere, omnino confiteri nos oportet.

Neoterici hoc explicant per secretiones vicarias ex consensu horum organorum, sed his non minus in eodem erramus labyrintho. Tubi ali-

---

1) Stoll Aphor. p. 116.

2) Stoll rad. med. T. II. p. 285.

3) Wedekind Aufs. N. 2.

4) Stoll rat. med., T. IV. p. 246.

mentaris facies interna prolongatione cutis externae obducitur, hacque via res mihi clarius apparent: quod, si cutis pars externa in secretione sua turbetur, altera ex coniunctione polari functionem illius suscipiet.

Exitus.

Frequentius, qui febre biliosa laborant, sanescunt, quam expectare licet terminationem:

1) Si febris est mitior et saburrha non nimia, si vomitus aut diarrhoea spontanea insequuntur, si acidula hauriuntur; tunc plerumque febris cito cessat et vel ephemerae vel ephemerae protactae indolem prae se fert.

2) Si febris maior, bilis acrior, si saburrha copiosior in secundis viis iam hospitatur, longiorem decursum sumit, et per operationes criticas solemnes, per sudores, diarrhoeam, vomitum, per urinas, rarius per exanthemata solvitur. Crises, quas supra exposui, die VII, plerumque die XIV contingunt, exactius tamen aliquanto ad febrem, quam ad saburrham respiciendum est. Vomitus criticus sub finem febrium rarior est, ipse Hippocrates semel modo illum se vidisse fatetur; maximum vero fert auxilium ab initio morbi. Bona praeterea praedicare licet, si aegrotus ante febrem bene se habuit, si causa excitans facile potest eliminare, morbo cum aliis characteribus non complicato, neque perverse tractato, si naturae conatus in operationibus criticis non interrumpebantur, sique epigenomena adversa accidunt nulla. Vires corporis medicatrices et rerum conditiones faventes saepenumero sine medico morbum tollunt, praepostera vero et intempestiva vel popularis vel medici medicina: exhibitis nempe spirituosis, aromaticis, multa, quod dolendum, parat funera.

In

In mortem febris biliosa exit:

1) Per metastasin biliosam ad partes nobiliores, ad encephalon ad pulmones, in cavum pectoris et pericardium, uti cadaverum sectiones docuerunt, illa mortem apoplecticam, haec suffocativam inducere potest. Porro erysipelate interno in gangrenam proclivi itemque aliis nobiliorum partium inflammationibus vel sponte natis, vel a medico inductis, obeunt. [1])
2) Ex affectu locali per oppressionem functionis cuiusdam partis nobilioris, ex inflammatione biliosa, quae analoga est erysipelati et quae facile in gangrenam tendit. Oriuntur secundum cel. Stoll ex principio acri bilioso inflammationes internae migrantes, anthraces et carbunculi, quod cadavera secta edocent. [2])
3) Ex vehementia febris, vel ex transitu in characterem alium, in nervosum, aut quod pessimum est, in putridum. Hos febris biliosa non modo induit characteres ex neglecta aut perversa tractatione, sed ignotis etiam ex causis cum summa debilitate et virium iactura incedit, malignitate sua ab initio saepenumero subito iam opprimit aegros, neque in cadaveribus quidquam invenire licet, quod subitam mortem induxerit.

Exitus in alios morbos.

Mutari possunt febres biliosae in febres alius characteris. Si evacuationes negliguntur et aegrotantes medicamentis curantur calefacientibus stimulantibus, facile exoritur febris ardens veterum, seu bilioso inflammatoria. In febrem nervosam acutam ex duplici ratione, ex debilitate directa

1) Stoll aphor. de cog. et cur. febr. p. 121.

2) Stoll rat. med. T. II.

vel indirecta, quin mors insequatur. Dein abit in febrem putridam seu scorbutum acutum, si accedit laxitas, si aeger in loco humido vel calido habitat, si diathesis scorbutica adest.

Transit porro in febrem intermittentem praesertim tertianam, dum remissiones in apyrexias paulatim transmutantur. Denique terminatur in chronicos morbos, languores, cachexias, nevroses, in morbos hepatis, digestionis et assimilationis, in diarrhoeam habitualem, caccochymiam chronicam, icterum perennem, in morbum hypochondriacum, in caecitatem, vertiginem, frequenter etiam in athralgiam, diuturnam et pertinacem.

Prognosis.

Ex his iam intelligi potest, quae de salute aegrotantis praedicanda sint. Generatim febris biliosa non est admodum periculosa, sed tamen subdolosa, neglecta semper periculosa, multo maiorem tamen minatur periculum, perverse tractata.

Inter febres gastricas sunt biliosae omnibus aliis periculosiores, quia in characterem nervosum aut putridum magis, quam aliae tendunt. [1]) Quo maior dein est complicatio eo difficilior habetur prognosis, et hae febres semper fere complicatae sunt.

Therapia febris biliosae simplicis.

Indicatio prima est: ut bilis in primis viis et sub cute effusa evacuetur, altera febris characterem respicit. Duplex ergo habetur therapia, pro parte directa et pro parte indirecta, utraque methodo evacuante et solvente plerumque absolvitur. In Polycholia evacuationes leviores, aperientia, eccoprotica, regimen his accomodatum, temperies frigida et sicca, potus acidulus, acida

---

1) Hildenbrand in Prael. suis.

vegetabilia, saponacea, fructuum horreorum succus sufficiunt. Si vero iam febris biliosa efformata est, tunc saburrham biliosam aut biliformem, sive sit causa febris, sive effectus, sive coeffectus omnium primo evacuare oportet. Evacuatio autem duplex est, per vomitum et per alviductiones, vel utraque simul via; saepenumero fomes hic biliosus ad evacuandum iam est pronus, in aliis contra praeparatione indiget, quem ad finem potus copiosus, salitus solvens, taleoli citri, [1]) usum praestant. Decoctum graminis, taraxaci, cichorei, cum oxymelite aut sale, serum lactis vel et saponacea cum salibus modice tamen additis, antea porriguntur, dein vel emeticum vel purgans vel emetico-catharticum magno cum emolumento exhibentur.

Emeticum in his febribus exhibetur, si inflammatio nulla adest, si materia biliosa in ventriculo aut duodeno haerens sursum turget, quod ructus, nausea, anxietas, vertigo, designant. Tempus emeticum exhibendi optimum est post exacerbationes, quia natura tunc ad sudores excitandos prompta est. Hunc ad finem praescribere tartarum emeticum licet, vel solum in pulvere vel cum ipecacuanha, vel in aqua solutum. Emesi autem non modo ventriculus et duodenum evacuatur, sed totum corpus egregie concutitur, ad crises, dum cutis functionem restituat, disponitur atque character nervosus prevertitur.

Interdum unum emeticum sufficit, sin vero vomitus non vehemens est nec convulsivus, plura etiam requiruntur, nam febres biliosae desiderant vomitum plenum vehementemque, qua scilicet totum hepar purgetur, cystis fellea exprimatur et ventriculus atque duodenum evacuetur.

Vomitus hinc uno vel altero die intersito, ubi saburrha urget atque vires permittunt, optimo cum fructu cietur, quousque autem et quoties

---

1) Stoll rad. med. IV. p. 366.

erit repetendus, medici prudentis est diiudicare. [1]) Summae, utut debentur laudes emeticis, cauta tamen manu certis in casibus exhibenda funt, ubi inflammatio adest, nonnisi praemissa venaesectione, ubi character nervosus aut putridus immminet, nonnisi ab initio morbi, sic in infantibus, gravidis, puerperis, menstrua fundentibus, hernia, diarrhoea laborantibus, pthysicis, haemoptoicis etc. summa circumspectione opus est.

Si materia biliosa peccans in intimo ventre haereat, nec alvus sponte redditur, post emesin remediis lenioribus, laxantibus eccoproticis, acidulis, minime vero, resinosis drasticis, utimur, sed mannatis, tamarindinatis, citratis et salibus mediis. Hinc exhibentur: tamarindi, pruna, radices graminis, taraxaci, scorzonerae, cichorci, aliaque amara similia, dein acetum dilutum, oxymel, cremor tartari, succus citri, etc. quae, si parum proficiunt, addito sale bonum effectum praestant. Emetica in genere melius agunt, quam remedia alvum purgantia, quae multo magis debilitant et facile diarrhoeam habitualem relinquunt.

Ubi vires evacuationes per alvum non permittunt, aut intestina irritata sunt, si mucus intestinorum per diarrhoeam aut dysenteriam veluti abrasus est, tunc mucilaginosa obvolventia cum supradictis plus minusve conjuncta melius conducunt. Tenesmus, tormina graviora aut diarrhoea tumultuaria, optime opio cum ipecacuanha juncto tolluntur. Quoniam purgantia primas vias molestant, in decursu morbi solventia, aperientia et lenissima eccoprotica melius exhibentur. Cell. Stoll: „Quod autem, inquit, de materia biliosa in secundas vias transit, non purgantibus sed crisibus evacuari potest, quae vel per sudores, vel per urinas fiunt.

Quodsi vires languescunt, remediis roboranti-

---

[1]) Hippocrates περὶ νουσων II. p. 473. L. 7. et περὶ των ενθος παθων p. 519. L. 25. L. 50.

bus etc., subveniendum est, nunquam vero statim stimulantibus roborantibus, uti Brown voluit, quippe quae in his febribus pessime conducunt.

D i a e t a.

Regimen diaeteticum sit morbo accomodatissimum. Pertinent huc frigus, quod maximum remedium ad bilis redundantiam, potus frigidus, [1]) aer frigidus, purus et siccus, qui et perflatu cubiculi saepe renovetur, lectus et stragulae leviora, jura carnium tenuia cum succis vegetabilibus; fructus horrei cocti, uti pruna, cerasa; acida vegetabilia forma potus aciduli, cum syrupis variis v. c. rubi idaei, berberum, ribesiorum, potus fermentati, aquae soteriae acidulae, porro quies corporis et animi, attamen motus corporis, in quantum vires permittunt, moderatus non denegatur.

Haud raro anomaliae occurrunt, febris cum aliis characteribus jungitur, ubi alia cura, quae his characteribus respondet, requiritur.

Sub coelo calido vel tempore aestivo saepe ad febrem biliosam accidit character inflammatorius, atque haec febris indolis est pessimae. [2]) In hoc casu requiritur methodus antiphlogistica cum antigastrica juncta, venaesectio, maiori tamen circumspectione, quam in inflammatione simplici instituenda; depletiones praeterea locales, refrigerantia et reliqua orgasmum sanguinis componentia.

Character inflammatorius illegitimus, catarrhalis aut rheumaticus febri biliosae junctus, diapnoica et antibiliosa, uti roob sambucci, acetum amoniacale, oxymel etc., exposcit. Si accedit character nervosus aut malignus, tunc refugiendum est ad

---

1) Hippocrates περὶ νουσων II. p. 473.

2) Apfel Diss. de Phlebotomiae, inprimis in febribus biliosis recta administratione. Helmst. 1779.

camphoram [1]) in refracta dosi, ad acida mineralia, ad vesicantia etc. [2])

Non raro autem character putridus evolvitur, tunc usus acidorum, quae simul in bilis redundantiam agunt, simulque antiseptica sunt, bene conducunt, inter illa mineralia quidem roborando eminere videntur, sed et ex succo citri maximos vidi effectus. Pertinet hic et usus camphorae, arnicae, corticis peruviani, vini, [3]) et similium.

Cura symptomatica.

Indicationes symptomaticae plerumque per se patent, si nimirum symptomata laesi cerebri graviora adsunt, v. c. delirium, phrenitis, etc. tunc praeter venaesectionem, emeticum et alviductiones, etiam fomentationes ex aqua et aceto compositae, frigidae, ad frontem applicandae; situs erectus, potus et aer frigidiusculus adhibendus, unaque, quo citius malum revellatur, epispastica suris imponenda sunt.

Quibus peripneumonia, pleuritis, vel haemoptoe cum febri biliosa jungitur, illis usus acidorum et frigidorum nunquam conducit, nec emesis, quia frigus tussin facile exasperat, inflammationemque auget. Semper fere hic venaesectio, certe sanguinis detractiones locales per hirudines, requiruntur, praeterea decocta avenae, hordei, serum lactis. Cel. Stoll singulari audacia et hic absque venaesectione emetica bono cum eventu exhibuit, nos nonnisi praemissa venaesectione indicationi ad emesin satisfacimus.

Interdum autem adfectiones abdominales, irritativae, dolorificae et inflammatoriae, uti hepa-

---

1) Flachsland über eine gallicht faule Epidemie.

2) Grant von Fiebern p. 373. nocere —?

3) Gesenius über das epidemische faulichte Gallenfieber 1785.

titis, enteritis, colica, dysenteria, diarrhoea biliosa, adsunt, his mucilaginosa et emolientia cum acidulis juncta, nunquam vero sales irritantes, externe cataplasmata emolientia, opponuntur. Tenesmum dolorificium opiata leniora optime solvunt, diarrhoea simplex, dummodo vires aegri non frangat, nec sistenda est, nec promovenda.

Est diarrhoeae biliosae species quae tempore aestivo grassatur, huic succi aciduli et fructus horrei bene conveniunt, quos et aegrotus sponte appetit. Semper primo quaerendum erit, an diarrhoea sisti debeat, nec ne, si alvus cruenta est, omnisque mucus ab intestinis quasi abrasus, ad remedia mucilaginosa et opium refugimus.

Exanthemata symptomatica, morbo bene curato, avanescunt, hinc nullum plane auxilium exposcunt.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Causa proxima cachexiarum in negotio secretionis et absorbtionis turbato quaerenda est.

II.

Anodyna absoluta non sunt.

III.

Febris puerperalis est indolis inflammatoriae.

IV.

Therapia in typho, quo simplicior, eo felicior est.

V.

Contraria contrariis sanantur.

VI.

Lues ex gonorrhoea oriri potest.

VII.

Dysenteria est morbus contagiosus.

VIII.

Humor amnii ad nutriendum faetum non est destinatus.

IX.

Sine mercurio syphilis radicitus non sananda.

CUR-

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
BEROLINENSIS
A D I E C T U M.

Ego Fr. M. Kubyss anno MDCCLXXXVIII Tostae, Silesiae superioris borussicae oppido, patre optimo Josepho natus, in domo paterna educatus, dein in Gymnasio Himlowitzensi in studia, quae ad humanitatem pertinent, incubui. Deinde Vratislaviam me contuli, ubi facultati medicae adscriptus, philosophiae, anatomiae et chirurgiae studiis operam dedi.

Paulo vero post bello MDCCCVI exorto, chirurgi castrensis munere functus sum. Pace reconciliata ad studia redii quidem, mutatis vero interea rebus familiaribus, nova mihi affulsit spes, studiorum Vindobonae continuandorum, ubi permulta mihi praestiterunt beneficia fautores, tutum firmumque mihi largientes asylum. Civibus academicis ibidem adscriptus, philosophiae, medicinae et chirurgiae studiis vacavi, omnibusque institutis, adeo salutiferis octo per annos usus sum.

Praelectionibus vero his interfui: de mineralogia et zoologia Cel. Scheerer, de chemia et botanice Lib. Bar. de Jaquin, de anatomia Cel. Mayer, de physiologia Cel. Prochaska, de morbis mulierum et infantum Cel. Boer, de chirurgia tam generali quam speciali Nob. ab Rudtorffer, de pathologia, pharmacologia et arte medicas concinandi formulas Cel. Hartmann, de historia et

litteris medicis Cel. Eirl, de chirurgia medica Cel. Reinlein et Reimann, de arte veterinaria Cel. Fechner et Veit, de medicina forensi Cel. Vitz et Bernt, de pathologia et therapia tum generali, tum speciali Cel. Nob. ab Hildenbrand, cuius et exercitationibus clinicis interfui. Simul Cel. Kernii scholas de chirurgia tum generali tum speciali frequentavi.

A Cell. Prochaska et Beer curandis oculorum morbis, a Cel. Steidele, Böer et Birly arte obstetricia tum theoretica, quam practica in instituto clinico instructus sum, simulque Exp. Eisel et Ill. Rust ad aegrorum lectos in nosodochio Vindobonensi ut accederem, mihi permiserunt.

Studiis his absolutis Berolinum profectus sum, ubi cursus medicos et chirurgicos absolverem, ibidemque anno MDCCCXVIII Universitatem litterariam adgressus, civibus academis a Cel. Ph. G. Marheinecke adscriptus, eximia huius Universitatis litterarum subsidia in proprium commodum converti.

Ab Ill. C. Rudolphi encyclopediam, methodologiam medicam atque anatomiam comparatam accepi, nec non Ill. Formey de cognoscendis et curandis morbis acutis disserentem audivi. Ill. Horn institutum clinicum in nosocomio Caritatis frequentavi. Iam Tentamine, examineque rigoroso, nec non cursu anatomico et chirurgico absolutis, hocce commentariolum conscripsi, quo defenso, spero fore, ut summi in medicina et chirurgia honores rite mihi concedantur.